



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Henricus fugit in Gallias, & amplectitur Societatem, ibidem

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

Et domi quidem paternæ procul Londino latere se aliquamdiu posse existimauerat; at tantus ubiq; metus, tanta inquisitio fuit, vt noctem eum traduxisset in campis, in Septentrionem proficisci decreuerit, opportunitatem transmittendi quaesiturus: Et commodè incidit in nauim nauis abudè instructam, nullo vectore grauem, quod in summo beneficio poluit, & in litore Gallico, portu cui à Gratia nomen, exscendens, Rhotomago Parisios, Parisius Rhemos tenuit. Isthic annum vnum Theologiae dedit; tum Romam profectus annum alterum in Anglicano: Inde in Societatem cooptatus quarto Februarij anni octogefimi quarti, annos ætatis numerans viginti quinque præ rerum Cælestium dulcedine quid corpori accideret incurius, breui eum pectoris & ventriculi dolorem contraxit, qui iudicio peritorum non alio curari posset medicamine quàm aère mitiori: itaque in Gallias reuertit, & Virduni quod supererat Tyrocini exoluens, liber ab ægritudine, post Mussiponti decursa Theologica, initiatus est subdiaconatu Metis, Diaconatu & Sacerdotio Parisijs.

1595.
Henricus
transmittit
in Gallias

XXIX. Dux Parmensis Alexander, qui armis Catholici Regis in Belgio præerat, Thomam Saillium è Societate Iesu Conscientiæ adhibuerat moderatorem. Huius morum suauitas, atque in summos infimosque caritas, pium Principem permouit vt plures eiusdem instituti homines ad animarum auxilium in castra induceret; quærebanturque præsertim illi qui & animi viriumque robore, & linguarum peritiâ iuando varijs ex nationibus militi pares essent. Henricus qui præcipuas Europæ linguas callebat, Gallicam, Hispaniensem, Italicam, & erat ingenio, prudentia, rerum ac scientiarum cognitione non vulgari, Claudij Generalis voluntate delectus, & Bruxellas profectus, omni corporis mentisque contentione arduum hoc munus periculorumque referentem aggressus est & omnes Religiosi strenuèque operarij partes expleuit. Hybernis deinde mensibus, quibus ab armis plerumque cessatur, missus Tornacum ad tertium probationis annum, quo Societas suos exercet ad Gradum in Religione stabilem, dum inde reuertitur Brugas Flandriæ, in Hollandorum prædantes milites incidit, rapiturque Flissingam. Non sunt Hollandi in bello captos intemperantes: Longa dies, parque vtriusque partis necessitas, docuit conuentione militari statutum quiddam in singula capita pendere, atque interim dum paratur solutio sumptum liberaliter facere quemadmodum in hospitij. At Henricus non in Hollandorum, sed in Anglorum præsidium datus est custodiæ, quod id temporis obtinebant qui sub Leicestrio Hollandis militabant. Illi gentilium Hæreticorum vitio in Sacerdote Anglo Patriæ proditorem vexare existimantes, non modò sat asperum nihil arbitrabantur quod infligerent, sed & necem (à qua Ciuitatis Flisinganæ iure prohibebantur) clam inferre moliebantur, subornatis inter captiuos aliquot latronibus, qui spe impunitatis nihil de nocte opinantem opprimerent. Non latuit Henricum malitiosa crudelitas. Impositamque necessitatem ad plures menses vigilandi, modò vt somnum simularet, modò vt propin-

In Belgio
militibus
iuuandis
impendit
operam.

Captiuus
ducitur Flis-
singam.